

**Hepar ex tumulo ad officium sanguificationis revocatum ... disputatione inaugurali / [Tobias Heinrich Haehne].**

**Contributors**

Haehne, Tobias Heinrich.  
Henrici, Heinrich, active 1697-1713.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Literis Salfeldianis, [1713]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/s25tbv5f>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



SUB DIVINIS AUSPICIIS  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO WILHELMO,  
PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
ex consensu inclytæ Facultatis Medicæ

PROPRÆSIDE  
DN. HEINR. HEINRICI, MED.D.P.P.

HEPAR EX TUMULO  
AD OFFICIUM SANGUIFI-  
CATIONIS REVOCATUM

DISPUTATIONE INAUGURALI  
PRO GRADU DOCTORALI,  
cumque in Arte Medica honoribus ac  
privilegiis impetrandis

*Ad ; Octobr. M DCC XIII. horis locog, consuetis*

*Publico Eruditorum Examine proponet*

OBIA S HEINRICUS HÆHNE,  
Silesius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS Salfeldianis.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30771894>





## PROOEMIUM.

**C**um universa corporis humani structura summa sapientia ita sit fabrefacta, ut sub sua & mixtionis, qua nititur, fragilitate ad conservationem corporis tamen vitæque hujus accommodatissime undiquaque conspiraret; sæpe subiit mirari, quod mirati sunt plurimi, quid videlicet causa subsit, quod Vena Porta, porta malorum, infimi ventris visceribus istis sit interjecta, sanguinemque ab illis receptum sine pulsu, fracto quippe ad dictas partes, & sine notabili impulsu earum partium tonico, ex ramis pluribus, ipsaque inflexura, ceteroquin utili, longioribus, in truncum ampliorem collectum, hinc per angustissimos hepaticorum vasorum glandularumque meandros traduceret demum in venam cavam. Qua sui fabrica, quo officio, multorum tamen & gravissimorum malorum porta non maledicatur, licet impulsus, a tergo sufficientis, defectum reciproca hepatis cum diaphragmate, sub respiratione, motuatio versus venam facta quodammodo compenset, quod primus notavit Consultiss. atque Excellentiss. Dn. D. Stablius in



de Vena Porta habita Disputatione. Frustra autem istam venaportæ structuram positumque inter viscera factum nemo facile sibi persuasit de natura, quæ divina sapientia imbuta, æque atque ipse Deus, nihil frustra facit: hinc vero consequitur, banc venaportæ fabricam, multis cum periculis, valetudini humana adversis, conjunctam, longe majori utilitate pro eadem fuisse omnino necessariam, qua facilem periculorum gravitatem superaret magis, quam illam huic exaquaret. Ita enim cum ipso, quem vehit hæc vena, & ob quem ejus structura potissimum sanitati periculosa dici debet, sanguine comparatum quoque est: hic summe necessarius & utilissimus, nullam materiale positivam corpori utilitatem, non elementum non nutrimentum, nullos spiritus, motuum autores, suppeditat; non accidit fermentativis, non elasticis, vibrativis oscillatoriis particulis, imo neque circulari suo motu, qua tali, necessarium vel utilem se præbet corpori, quod tot periculis exponit sanguis, isque tanto pluribus, quanto copiosior hic est, tanto acutioribus, quanto floridior; nihilo tamen minus corpori necessarius erat purpureus ille humor, qui incalescere motu sui posset, ut isti calorem impertiret, quo potissimum necessitudinem suam & emolumentum probat, quoque damnorum ex se impendentium pericula compensat, imo partim antevertit, partim corrigit. Simile quid de vena porta, quousque damna dare potest, sentiendum est; nempe & hæc structura sua incommoda majori utilitate resarcit. Et ne quid hic sim longior, ille ipse sanguis, cui nocere potest facile vena portæ fabrica, is sua quoque inde hausit emolumenta, imo originem ex parte, non quidem ad mentem Schegkii, qui venam portæ sanguificationis officinam esse voluit; sed quod chyli partem, sanguis-



*sanguinis nutrimentum, in ramos suos, ad intestinorum penetralia demissos, inde recipiat non solum; verumetiam, quod humores placidissimo motu per hepar traducat. Hepar autem sanguificationis officinam esse, id quidem nobis videtur probabile, cujus rationes pro themate Inaugurali explicandas nobis sumsimus, non quidem ea mente, ut materiam hanc tot controversiis agitatum pro dignitate excutiamus, ac penitissime absolvamus; quod temporis ac dissertationis hujusmodi ratio non permetteret; sed saltem, ut eam ulteriori disquisitione indagemus, parati cedere, meliora docti. Deum autem T.O.M. supplici mente veneramur, ut ausibus nostris ex alto benedicat clementissime.*

§. I.



**X** quo tempore hepatis sanguificationis officium in dubium & discrimen vocari coepit, coepit quoque ea res tot tantisque controversiis diffidiis, altercationibus, imo jurgiis & rixis agitari, ut si vel horum justam velimus exhibere historiam, oporteret nos consuetos disputationis limites excedere, tantum abest, ut cum hac momentarierum digne excutere jam liceret; liceat igitur nobis hac vice esse brevioribus, tum in his recensendis & inquirendis, tum in nostris etiam opinionibus, & quas de officina sanguificationis meditamur, sententiis proponendis; Accedit, quod vix ullum fore credamus, qui nesciat, quid actum sit circa hepar hoc nomine, quidque sibi velit titulus dissertationis nostrae.



II. Obtinuerat hepar antiquitus communi quasi suffragio, amplissimæ dignitatis munus, sanguificationis nempe officium, eoque strenue defunctum erat, licet Aristoteli & quadantenus Galeno visum fuerit, dividendam hanc esse functionem, partemque ejus cordi deferendam; imo venis ipsismet meseraicis vim sanguificam ex vicinia ab hepate impetrantibus, ita, ut primus character sanguinis chylo in his imprimere-tur, extremus in hepate, juxta Galenum; in corde ve-ro, secundum Aristotelem; licet etiam recentior qui-dam Jac. Schegkii vasis potius quam hepatis, illorum fulcimento, demandavit sanguificandi munus, pleri-que tamen eruditorum etiam tunc temporis hepatis primas concesserunt, eo usque donec a regia in devias deflectere chyli partem observarent; indeque per præcipitantiam mentis alii, alii experimentis caute satis non institutis decepti, concluderent; nihil plane chyli ad hepar per venas meseraicas derivari, ergo ne he-par sanguificationis officinam dici debere.

III. Postquam enim Asellius vasa lactea, quæ pri-mi generis dicuntur, vel invenisset primus, vel diu-tissime prætervifa denuo in lucem protraxisset; & Pecquetus receptaculum chyli cum ductu thoracico adinvenisset; (nisi Eustachio aut Veslingio tunc debe-batur,) Bartholinus denique, ante dubius, vasis circa hepar lymphaticis devehendi munus designasset; licet hepatis auctoritati nihil derogaret Asellius, eamque ipsi dubiam saltem redderet Pecquetus; Bartholinus ta-men isto munere exuit penitus, de folio, quo inter ce-tera viscera, eminuerat hepar, dejecit, deturba-vit,



vit, exauctoratumque ad vile, sanguinem repurgandi, munus ablegavit, imo vita, quam in sanguine quærebant, privavit, tumuloque condidit, ut joculari denique epitaphio erecto, pro mortuo reputatum ludibrio haberetur tantum non omnibus.

IV. Nihil enim egit contra Bartholinum Riolanus, qui magno, sed irrito conatu causam hepatis desperatam sibi defendendam sumserat; nihil egerunt Blasius, Backius, Sylvius, Lindanus, Deusingius cum Bilsio, qui mitiorem de hepate interposuerunt sententiam, ipsique partem sanguificationis vindicatam voverunt, cum paucis aliis, quos omnes vicit pluralitate votorum quasi Bartholinus, vicit autoritate, qua inter Anatomicos, (hi enim inter doctos tunc primi erant) sui temporis eminebat, vicit etiam rationibus non omnino nullis, sed flumine eloquentiæ adjutis, adeo, ut mox communi applausu & consensu triumphum ageret de superato hepate, hoc vero de officio, quo per tot secula optime defunctum erat, dejectum, causa penitus excideret, & in vile munus in pistrinum, quasi damnatum pro mortuo reputaretur, & per jocum concederetur tumulo.

V. Sed cui demum visceri munus hepati detractum, quod vacare non poterat, an ulli istorum, an sanguini potius ipsi deferrent, & an inter viscus aliquod & sanguinem dividerent, de eo inter se convenire non poterant Artis nostræ Principes, aliis cor, aliis pulmones, lienem, ipsasque venas in delectum proponentibus inter perpetua de principatu partium dissidia; donec composito primo altercandi impetu ad hepar aliqui



qui denuo respicerent. Fuit in his Consultiss. atque Excell. Dn. Stahlius, qui in Disp. de Sanguificatione causam hepatis defendendam in se recepit, & dissentientium rationes & argumenta hinc inde agitata iusto iudicio excusit, quorsum Lectorem brevitatis causa, & ne actum nos oporteat agere, remittimus; id autem in præsentiariis agere nobis constitutum est, ut hepar ex tumultu protractum, pristinae auctoritati restitutum, a viliori munere ad splendidius, quo olim functum fuit rediens in eodem confirmetur, dabimus enim probatum, hepar non solum bilem a sanguine repurgare, sed ideo hanc & lympham sequestrare, ut sanguificationi locus esset commodus, omnino ad mentem veterum qua factum, licet qua modum dissentiamus.

VI. Veteres hepar habuerunt pro parenchymate sanguineo, seu pro sanguine ramificationibus vasorum superinfuso, concretoque; Recentiori autem Anatomicorum diligentia constitit, hepar viscus esse glanduloso-vasculosum, & ex copia sanguinis copiose transeuntis rubicundum; unde Malpighio in Exercit. de struct. Visc. placuit hepar ad glandulas conglomeratas referre. Quæ ejus structura sit, per partes referre supervacaneum arbitramur; quæ vero ejus pro scopo nostro inservire poterunt, suis quæquæ locis commemorare integrum erit; ut & circa hanc materiam brevitati propositæ indulgere queamus.

VII. In hoc parenchymate statuerunt Veteres plerique omnes chylum in sanguinem permutari, dum in transitu per hepar sanguinem tincturam sanguinis

reci-



reciperet, atque ac infita facultate sanguifica ulterius perficeretur; dissensit quadantenus Aristoteles, & cum hoc unus & alter, partemque sanguificandi muneris cordi tribuerunt, cum tamen in eo consenserint Veteres, quod chylus primam sanguinis signaturam in hepate, vel primam in venis meseraicis, alteram autem in hepate reciperet. Nihil attinet, diutius commorari circa varietatem hanc sententiarum; siquidem nec recentiorum opiniones de officina sanguificationis varias longius perquirere constitutum nobis jam est, sed unice circa hepar occupabimur.

§. IIX. Eam autem in gratiam, ut chylus in sanguinem mutetur, constantissime Veteres statuerunt, chylum a ramificationibus venæ portæ ad intestina demissis resorberi & cum sanguine mixtum ad hepar derivari, eumque, per ignorantiam vasorum lacteorum, penitus omnem in primis viis elaboratum, nisi vel obstructio vasorum remoram injiceret, vel facultas Galeni attractrix læsa chylum in intestinis relinqueret. Vasa lactea num antiquissimis, ante Galenum, temporibus Erasistrato & Herophilo visa cognitaque fuerint, uti quidem probabile videtur ex ipso Galeno libr. an sanguis in arteriis. itemque Libr. de dissect. Venar. & libr. de dissect. Anatom. ubi Galenus de arteriis lacte refertis, & ad glandulas mesenterii delatis contra Erasistrateos differit, nolo scrupulosius inquirere; Certum enim hoc est, a Galeni temporibus usque ad Eustachii, Faloppii, vel Asellii ætatem latuisse eadem & incognita fuisse. Quibus tandem, cum lymphaticis reliquis, adnotatis & diligentius observatis, hisque lympham ab hepate reducendi, illis chylum

B

ex



ex intestinis haustum in massam humorum devehendi officio designato, ex eotempore chylum omnem per lactea sola traduci in subclaviam, nihil vero ejus in meseraica resorberi, unanimi consensu sancitum & pro certissimo habitum, atque de principatu partium, cui hoc munus deferendum sit, varie disceptatum fuit.

§. IX. Equidem volatilium genus animalium non levis momenti dubium mox injecerat, quod volucres lacteis destui, (cum nulla diligentia, in ea inquirendi curiosius suscepta, apparuerint;) quodque intestina anseris inflata flatum in meseraica vasa transmittant, Brunneri experimento, consentiente Bohnio, hoc & liberaliter concedente, quod in volucris lactea nulla sint; sed huic dubio mox quoque parata erat responsio: nempe a genere volatilium ad alia animantium genera & ad hominem non valere consequentiam. Nihilominus id inde confecerunt, posse omnino chylum ex intestinis in horum ramos meseraicos penetrare.

§. XI. Nihilo tamen secius hepar penitus exautoravit Bartholinus, supponendo magis quam demonstrando vasa, quæ lactea dicuntur, in omnibus animalium perfectiorum generibus, atque illud ab officio sanguificandi penitus submovit, argumentis eam in rem quamplurimis undique conquisitis, quorum ple-  
rorumque & gravissimorum summa eo potissimum redit, quod chylus immediate ad hepar neque per lactea, neque per lymphatica, neque per meseraica vasa deferatur, quod hepar vitiosum, scirrhus aut abscessu v. g. affectum genesi & bonitati sanguinis nihil officif-



offecisse visum sit; in quam sententiam comprobendam plures congeffit rationes, pro invictis sibi visas, & post multas cum multis habitas contentiones ac deductiones summatim exhibitas in Anatomia quintum reformatam pag. 143. sqq. de quibus postea forsan, si tempus & locus concesserit, videbimus, jam vero ad scopum nostrum propius accedemus, comprobaturi, quod injuria detractum sit hepatis sanguificationis officium, quodque omnino ad hoc, præ cæteribus partibus, organice concurrat.

§. XI. Cardo rei vertitur in eo, ut primo de viis chyli ad hepar constet; dein ut modum quendam evidentiorum, quo hepar sanguificationi inserviat, surrogemus. Ex quo enim tempore, inventis nempe lacteis, lymphaticisque ab hepate devehentibus, de itinere chyli in mesenterica vasa, deque facultate hepatis sanguifica, & de hac quidem non immerito, dubitatum, ex eo etiam negatum fuit, hepar sanguificare; quia nempe facultates Galenicæ partium (nisi quousque hæ organico & instrumentali concursu ad actiones symbolum conferunt) nullæ omnino sint in rei veritate; & quia chylo in mesenterica nullus pateat aditus, nec etiam per lactea immediate, per lymphatica minime ad hepar deducitur, ideo concluderunt sanguificationis officinam in hepate non esse quærendam.

§. XII. Quamvis autem hujus consequentiæ tanta non sit evidentia ac certitudo, quam in ea sibi sunt imaginati, qui ita argumentando hepatis officium suum dubium fecerant ac detraxerant; nolo tamen eo usque præcipitantiæ insimulare illos, qui hac ratione suffulti



vel seducti negarunt, hepar quicquam ad sanguinis generationem conferre. Ponamus enim, chylum omnem per lactea infundi in venam subclaviam, tum modo de ratione quadam probabili, qua hepar sanguificare dici meritum esset, constiterit, facilis fuisset ad istam argumenti dicti sequelam responsio: namque sufficientissime notum erat ex Lowero, quod chylus in massam humorum delatus ad aliquot horas post pastum immutatus, sincerus, cum reliquis humoribus circuletur, cum qua etiam successive tantum chyli in vasa meseraica per arterias coeliacam & meseraicas derivare, hinc ad hepar deduci poterat, quantum satis esset ad eam sanguinis quantitatem, quæ paucis illis horis, pastus tempora intercedentibus, consumptum erat, restituendum; neque enim omnis chylus in sanguinem mutandus est in hepate, cum maxima ejus pars in lympham attenuetur; & in lactantibus, quarum multæ menstruas sanguinis evacuationes habent, nec sanguine destituuntur, non parum quoque sincerioris chyli in mammis pro lacte secernitur.

§. XIII. Adde & hoc: nulla lactea chylum immediate ab intestinis ad mammas & uterum gravidum derivant, sed cum sanguine, & humoribus reliquis, in illas per mammarias, ad hunc per hypogastricas & spermaticas quasdam deducitur, & in mammis magna chyli copia; ejus non parum per uterum nihilominus quoque separatur in usum foetus & infantis; Vidi sane, Præses ego, in catulis recens natis lactea umbilicalia vice plus simplici, demonstravi etiam in collegiis. Anatomicis bina aliquando vasa lactea hujusmodi



modi, lacte seu chylo turgida; alterum immediate in truncum venæ portæ, alterum ad pancreas Afellianum protensum; colligunt lac inde fœtus uterini in mammulis suis, imo copiose colligunt, si ad mentem Excell. Bohnii fœtus lac suum ex uberibus in liquorem Amnii profundunt pro alimonia reiterata quasi; Lac autem chyli separati partem esse, nemo forsitan hodie negaverit; namque vel sapor lactis alii v.g. si vaccæ hoc devoraverint, de lacte ex chylo, insignem alterationem nondum passo, satis testaretur. Cum igitur sat notabilis copia sinceri chyli ad alias quoque partes, non immediate per lactea, sed mediate per alterias, cum reliquis humoribus deferatur; quid impediret, quo minus etiam ad hepar idem eodem modo sincerus deduci posset, ut in hunc hepar officium suum mutatorium exerceret, modo tale munus ipsi competeret, quod ita, tali argumentatione, male hepatis denegatur.

§. XIV. Quamvis inquam hæc ita se habeant cum ista ratione, dabimus tamen in probatis, patere quoque chyli aditum in meseraica, etiam in aliis, præter volucres, animalibus, quibus id denegatum fuit. Volucres certe fatentibus id omnibus, destituuntur illis, atque ideo per ramos vasorum meseraicorum chylum ex intestinis necessario hauriunt; patent etiam in intestina adeo, ut si intestinum v.g. anseris insuffletur, flatus in venas penetret, docente Brunnero, & consentiente Bohnio. Fallor, an ideo lacteis carent volucres, quod lacte nullo, sinceri chyli sobole, opus usquam habeant? dicis, mares quoque earum animalium specierum, quæ lactea vasa ostendunt, iis-



dem instructos esse; imo, sed quæ solo sexu differunt animalia, conformationem partium, præter eam, qua sexus pro generatione exprimitur, per omnia sibi similem semper a natura impetrarunt, adeo ut & mammarum, quæ ad generationis opus proprie non spectant, structuram & efformationem, pueri puellæque recens in lucem editæ, eandem penitus ostendant; quæ specie non differunt, ea nec in circumstantiis speciei, qua tali, debitis differre, & distingui a natura solent, licet in circumstantiis individualibus quadantenus differant; Sexus autem diversitas, in partibus expressa in efformatione partium, individualement circumstantiam primam quasi non male dixeris.

§. XV. Fœtus in utero vitæ matris vivit; humoribus matris, licet defæcationibus, pro sua vitæ, quando hanc orditur, utitur; Sed qui fœtum, primo per vasa umbilicalia humoribusque maternis; postmodum, perfectis visceribus vitalibus, per os, liquore amnii, nutrirî volunt, in quibus ipse Bartholinus est, uti sanguificationem in fœtu fieri concedere debent; ita, hanc in hepate fieri, probabile argumentum poterant colligere ex eo, quod humores vitales constantissime usque ad partum, per vasa umbilicalia in venæ portarum hepaticæ affundantur. Namque perfectis in fœtu partibus visceribusque ad vitam proprie pertinentibus, ilico quoque actiones, propius vitales, incipiunt constanter fieri; isti vero, qui nutritionem quandam fœtus per os statuunt, peculiarem quoque sanguificationem in fœtu concedant oportet, quod assumo; & humores matris ad fœtum derivatos, inque  
pla-



placenta uterina defæcatos, chylo quoque imprægnatos esse, suppono; istos autem humores, utpote defæcatos, & foetui adaptatos, non eam in gratiam solummodo ad hepar deduci, ut bilem seponant, vel exinde licet colligere, quod sanguis maternus, in hepate uterino, nondum vero in hepate embryonis depuratus, primis istis mensibus, (quibus iste per os nondum nutritur, quibusve nulla in hepate tenelli nondum perfecto sanguinis materni a bile depuratio contingit,) foetui sufficiens & innoxius existat; posterioribus autem mensibus, quibus nutritionem foetus per os statuunt, sanguis tamen constanter, & eadem, imo majori majorique quantitate, hepati per umbilicalem venam infundatur; &c. ex his inquam momentis apto ordine inter se collatis, (quorum ampliorem deductionem brevitatis nostræ necessitas jam non concedit,) probabile evadit, humores maternos ad hepar infantis sanguificationis alicujus ergo devehi, idque a natura jam in utero materno huic actioni vitali destinatum esse.

§. XVI. Cui quidem probabilitati accidit superius jam tacta observatio anatomica, licet in canino pullo facta, de lacteis binis umbilicalibus, lacte manifesto turgidis, idque post incisionem effudentibus; quorum alter quidem ad pancreas Asellii, alter in ipsum truncum venæ portæ immediate lac suum, deducebant; nec enim dubito, sicuti talia vasa lactea in pullis caninis aliquoties mihi videre licuit; eadem in humanis quoque existere, quamvis humanitatis leges experimenta quasi prohibeant. Quem autem in finem lac,  
five



sive chylus, non solum cum reliquis humoribus maternis, sed & per singulares ductulos ejusmodi, deduceretur ad hepar infantis, nisi in hunc ipsum, ne videlicet hepatis materia, inquam officium suum mature, & statim in utero, exercere posset, deficiat; ut actioni, mox a partu necessariæ, mature adaptetur hepar, & advescat quasi natura; quis autem sibi persuaderet, viscus illud mole maximum, & amplissimum, imo in foetu statim ultra proportionem reliquarum corporis partium excrescens adeo, ut totum fere abdomen repleat, quis inquam viscus illud, in foetu sub prima efformatione ultra proportionem excrescens, & in adultis quoque reliquis visceribus, longe plus feri sequestrantibus, renibus v.g. mirum quantum amplius, solam in eam rem ita mature & magnum esse formatum, ut paucum liquorem biliosum secerneret? maxime cum in foetu paucam admodum bilis copiam per tempus illud, quo humores ad viscus hoc efformatum deferantur, secretam esse appareat in viscere amplissimo.

§. XVII. Faveret quidem huic de usu hepatis, etiam in fœtu, opinioni canalis ille venosus intra hepar infantis e porta in cavam protensus, si quidem hujus existentia extra justam dubitationem posita esset, nique hepar foetus intense totum ruberet, rubet autem a transeunte substantiam ejus sanguine. Fac igitur, partem sanguinis umbilicalis per hunc canalem ex porta in cavam traduci, forsan ne copia humorum, ceteroquin ad vitam & augmentum corporis necessaria, hepar prægravaret vel oppleret; nihilominus rubens hepar maximam humorum partem transcolabit, ut



ut ideo argumentum illud, de transitu sanguinis, ex porta in cavam, immediato, contra nostram de sanguificatione, etiam in foetu contingente, opinionem nihil roboris habeat; quod tamen inter ea, quæ a Bartholino in contrariam sententiam afferuntur, non potestremum est; Sicuti etiam illud, ejusdem fere commatis: hepar in pullo usque ad diem exclusionis ultimum pallide flavere, & quod addit, vitellum non ad hepar, sed ad intestinum pulli deferri, parum roboris habet; Si enim ad intestinum deferretur vitellum, qua via alia, nisi quam meseraica vasa suppeditant, illud in massam humorum, pro sanguinis incremento, penetrabit, cum lacteis destituantur volucres, fatentibus id, qui Bartholino ceteroquin assentiuntur, omnibus. Palleat etiam hepar; sanguinem tamen continet, sed pauciozem, minus sufficientem, qui hepar saturato rubore inficeret, quod inde solummodo consequitur; addo, quod hepata plurimarum volucrum tam obscuro rubore tincta non appareant, atque aliorum plerorumque animalium.

§. XVIII. Vasa lactea primario esse lymphatica, secundario chylum quoque cum lymphâ vehere, id non solum toto vasorum horum systemate, cum aliis rationibus, imo ipsis oculis testantibus, persuademur, sed & a nemine dubitatur hodie. Facta nempe sunt vasa lymphatica ad lympham revehendâ in genere; ad copiosissimam eam massæ humorum infundendam in specie illa pertinent, quæ circa hepar, & intestina, mesenterium perreptantia, inveniuntur. Lymphâ, ex his partibus per vasa contermina refluens, bili per  
C
hepar,



hepar, atque muco per intestina sequestratis, vehiculum dissolvendis ac disgregandis serositatibus istis aptum subministraverat; sicuti phlegmatica magis humorum portio salibus urinæ tartareis diluendis convenientior, sed sub perpetua potulentorum necessitate minus utilis, simul per vias urinarias excernitur foras; ista vero lymphæ, utilior, deposito, in ductibus bilariis intestinorumque cavitæ, sero suo, massæ humorum denuo restituenda erat, in quem usum vasa circa hepar & intestina copiosiora lymphatica interviunt. Si quid igitur in transitu quasi offendat, quod vasa sua simul potest subire, id secum quoque deducit; ordinarie & secundum naturam id accidit in intestinis, præsentem chylo, quem simul per vasa sua deducit lymphæ; lymphæ hepaticæ tale quid præter naturam contingit in ictero, quando bilis una cum lymphæ per poros ductuum bilarioum, sub impedita undecunque bilis excretionem, expansos, sub forma bilis transfundat, ac, in vasa lymphatica recepta, in massam humorum reducitur.

§. XIX. Putant equidem illi, qui lactea a lymphaticis distinguunt, distinguenda hæc inter se omnino esse; primas deberi lacteis, chylo vehendo destinatis primario; hæc peculiaribus terminis, quibus in lactea primi, secundi, tertiique generis dividuntur, peculiare aliquod vasorum genus constituere, quod chylum primario, in radicalibus primis semper; in secundis tertisque lympham propter chylum vehat, primi ordinis lactea definere ad pancreas Asellii, (ad glandulas mesenterii medias in homine) chylumque suum in illud & per ejus substan-



substantiam transfundere, ut peculiari quodam humore imbuatur ac sigilletur; lymphatica vero pleraque liquorem suum chylo in lacteis secundi tertiique generis affundere, & vehiculi instar eum, diluendo, fluxiliorem reddere, pro faciliiori suo transitu. Quo de obiter hic noto: primo quidem, chylum, qui oscula vasorum primi generis lacteorum exilissima penetrare, qui vasa hæc exiliora pertransire, quique glandulosum pancreatis corpus, loquor ex hypothesi, perreptare potuit; hunc in vasis secundi tertiique generis amplioribus lacteis non restagnaturum etiam sibi relictum, nec pro transitu per ista vasa majora novo vehiculo diluente indigere; Dein adnotavi in canicidiis, quod in his notavit Drelincurtius, chylum pancreas Asellianum minime irrigare; quod num experimento Nuckiano, quo se glandulam mediam mesenterii mercurio per vas aliquod lacteum injecto repletam vidisse testatur, labefactari queat, ulteriori, sed accuratiori diligentia reservandum esse duco. Novi enim experimenta, injectionibus facta, ad fallacias & deceptiunculas, nisi diligenti patientia cumulentur ac varientur, facillima esse.

§. XX. Cum ad hæc, licet a scopo nostro aliena videri dicique non injuria queant, delapsi tamen simus, molestum non erit, quæ Præsidi mihi, eam in rem, & pro lacteis in genere, tentanti dudum obvenerunt, hoc loco relata legere. Distributionem arteriæ mesentericæ superioris ostensurus aliquando, illam ex ortu prosequor in cane per tractum pancreatis Aselliani, idque eam in gratiam per mediam longitudinem caute



disseco ; quo facto, juxta vasa sanguifera arteriosa & venosa, (ut distincte apparerent, paululum a se invicem semota,) videor mihi videre umbram quasi vasis alicujus non sanguiferi; hoc punctura dum aperio, flatumque sursum ac deorsum adigo, non solum hoc ipsum vas ad culmi straminei majoris amplitudinem attollitur, sed sursum quoque ductus thoracicus, ac deorsum vasa quædam lactea primi generis flatu distenduntur: Illud quid sit, & unde hoc evenerit, ulteriori inquisitione reservo. Alio igitur bene pasto cane accepto abdomen ejus aperio, vasaque lactea oculis sese sistunt elegantissima, ex superiori quidem intestinorum tractu, (ex ipso quoque duodeno aliqua) ad pancreas protensa dorsum glandulæ supergredi, ac in medio summitatis ejus obliterari, vel abscondi, visa sunt; quæ vero ex inferiori tractu intestinalis canalisi huc properabant, inferne cuspidem quasi ejus subire cernebantur. Ligato supra ductu thoracico, non solum hic, usque ad crepaturæ periculum, inturgescebat chylo, sed eodem quoque receptaculum lumbare, cum vasis lymphaticis, ab illis huc tendentibus, ex parte; ad ductum illum in pancreate chylosum regressus, hunc quoque lacte turgentem video quadantenus; primi autem generis lactea exinanita interim disparuerant. Tertia vice rem cera injecta tentaturus, paucam ceram cum multa pinguedine canina, quæ tum ad manus erat, liquefacta misceo, ut tenuitate altius penetret, tandem tamen refrigerata & coagulata staret; aperto canis pectore, ductuque thoracico injectioni adaptato, abdomen ejus minori incisione



fione apertum aqua calente, ne massa injecta sub ipsa injectione, quod alias facile contingit, coiret, adimpleo, ceramque istam per ductum thoracicum abdomen versus adigo; inde vero adimplentur, una injectione, receptaculum lumbare, totum & unicum, ad minoris digiti longitudinem, & ultra pollicis crassioris amplitudinem; etiam vasorum lymphaticorum abiliis adscendentium connexorum portiones; itemque vas illud lacteum, comes vasorum sanguiferorum ad tractum pancreatis, cum uno alteroque vase lacteo, tum inferiore, tum lateraliter pancreatis dorsum supergrediente. Unde quidem apparuit, lactea chylum in pancreas non effundere, nec per hoc transfundere. Nuckiani exprimenti facillima est fallacia, si pertuso vase lacteo tubulus siphonis non in hoc, sed juxta hoc in sinum canaliculosum, quem vas lacteum in duplicatura mesenterii pertransit, adigatur, ut mihi aliquoties usu venit.

§. XXI. Quoniam igitur vasa lactea nec materia, quam utraque, distinctim accepta, communem vehunt, nec terminis hisce differunt; sed primario lymphatica sunt, secundo vero, & per eadem, chylum traducunt; sive, quoniam pro chylo devehendo propria vasa non sunt efformata; nihil impedit credere, vasa meseraica sanguinem per accidens quoque & secundo chylum recipere posse ex intestinis, maxime, cum horum illorumque, ratione insertionis, par utrobique sit ratio. Utraque in tunica intestinorum nerva radicanter, quam perforant ambo; lactea quidem nemine contradicente; venosa etiam fatente Bartholino,



lino, ac ceteris, qui tunicam villosam orificiis vasorum, ne obstruantur, neve sanguinem plorent, obtensam esse volunt, vid. Barth. Anat. l. I. c. 10. Villosam hanc tunicam, sanguini quidem imperviam, sed lymphæ chyloque permeabilem esse, fatentur omnes; quam cum penetrent lymphæ & chylus, cumque sub hac oscula vasorum meseraicorum pateant, teste Jac. Henr. Pauli apud Barthol. l. c. quid impedit, quo minus has quoque subeat chylus? Dicis, hoc posito, frustra facta videri posse lactea. Minime, lymphæ enim interest, ut ne statim, atque a massa humorum sequestrata fuit, huic denuo reddatur; sunt autem vasa lactea primario lymphatica. Quoniam igitur, quod antea inferre volebam, vasa ista secundario chylum vehunt, & per ambages in massam humorum deducunt; hinc probabile quoque est, vasa venosa, sanguini vehendo primario destinata, secundario etiam chylum recipere, & hunc ita breviori via humorum massæ, cujus gratia is expetitur, infundi, modo venosa hæc vasa æque ac lymphatico-lactea pateant, ut chylus, trajecto quasi filtro, tunica nempe intestinorum villosa, in eorum oscula penetrare queat. Namque in eo etiam conveniunt utraque ista vasa, quod ambo humoribus revehendis sint dicata.

§. XXII. Patere autem vasa meseraica adeo, ut non flatum modo, quod negavit Bartholinus, demonstravit contra Jac. Hartmannus; sed liquores etiam injectos transmittant in cavitatem intestinorum, id quidem ad oculum his ipsis, per insufflationem & injectiones liquorum, facili negotio potest demonstrari, atque



atque demonstravi in collegiis Anat. sæpissime. Nempe fauciato ramo venæ portæ meseraico, intrusaque fistula & insufflata hac cum illo, flatus absque magna vi adactus facile penetrat in cavum intestini. Eodem modo liquores non spirituosos modo, quos cuncta penetrare causari quis posset, sed aquosos etiam, levissima emboli per siphonem impressione, nullo negotio maximaque in copia transmittunt venæ meseraicæ in cavitatem intestini. Cavendum autem, ne, venam fauciatam prætermittendo, fistulam modo in finum mesenterii, quem venæ ramus intra duplicaturam ejus progrediens sibi format, intrudamus; is enim flatus non traducit in cavum intestini, flatus vero ita adactus intra primam alteramque intestini tunicam (quas etiam sejungit) quaquaversum dissipatur, & circumvolvitur, quod D. Barbette, insufflationem hujusmodi, referente Bartholino de hepatis exauct. desperata causa, tentanti accidisse arbitror, uti id mihi, errorem tamen facile animadvertenti & corrigenti, evenisse recordor. Alterum, quod cavendum, hoc est, ut, si quis ramum quendam venarum sibi sumat insufflandum vel injiciendum, ligaturis hinc inde correspondentibus ramis injectis flatus vel liquorem coercere meminerit, ne is aliorum & ad truncum venæ portæ regurgitans experimenti successum frustretur.

§. XXIII. Sine ligaturis idem succedit, si ex trunco venæ portæ vulnerato flatus primo per vices, (sic enim aër maximam sanguinis partem secum regurgitando educit,) dein continuata inflatione adigamus; hinc etiam liquorem injiciamus. Nuper admodum



modum hac ratione canis ventriculum cum intestinis aliquot aquæ tepidæ libris levissima injectione adimplevi fere, postquam prius sanguinem venosum per aquam arteriæ celiacæ & mesentericæ injectam elue-ram. Tentavi etiam ceram multo oleo, nec tamen nimio, ut frigefacta coire ac stare posset, dilutam, eamque ramo meseraico, ligatis vicinis, injectam alte in tunicas intestini, imo, licet, parcius in cavum ejus penetrasse vidi. Appuerunt siquidem adhærentes villosæ tunicæ globuli cerei, quales Hartmannus etiam observat, & in cavitate intestini grumuli informes hinc inde reperiebantur. Ut adeo hæc satis evincant, patere omnino vasa meseraica in intestina per tunicam villosam, seu glanduloso villosam, aut potius muscoso-villosam, non quidem sanguini, attamen chylo, uti in lymphatico-lactea, ita etiam in meseraica venosa patentia, quod probavimus, permeabilem; tunica enim ista villosa, nerveæ, quam perforant vasa illa, obtenant sanguinis effluxum prohibet & meseraica osculis suis, abrafa hac tunica, patere in intestina confitetur in scripto de causa hepatis desperata, atque in Anat. Barthol. Idem nobis cera injecta probavit. Chylo autem hanc tunicam esse perviam nemo negaverit, siquidem foraminibus peculiaribus ad oscula lacteorum pertusa illa nunquam apparuit, sed tum lactearum tum meseraicarum venarum oscula æqualiter eadem obducuntur.

§. XXIV. Ex his itaque apparuit, posse liquores tenuiores venis injectos vi aliqua, licet minori etiam, ex illis in cavam intestini propelli; atque ideo chylum quoque



quoque in eadem penetrare possibilitatem hanc maxime probabilem, si non plane certam rem reddit phænomen illud, quod lymphæ tunc demum vasa circa hepar lymphatica copiosissime adimpleat, quando chylus exintestinis in vasa sua promovetur, horis nempe a pastu proximis, licet parum quoque potus cum cibis solidioribus, quantum forsan cibis digerendis & elixandis, sufficeret, assumptum fuerit, de quo mihi pluribus constat observationibus, ut ita frustra sint, qui copiam lymphæ tunc in vasis suis maxime apparentis chylo, magna potulentorum copia diluto, eoque per universam humorum massam distributo, & cum hac in venam portæ divisæ adscribere vellent. Nisi enim chylus hic immediate vasa meseraica subiret, neque lymphæ in tanta copia ex his per hepar in sua vasa posset sequestrari, cum massa humorum, chyli accessione adaucta, æquabiliter per totum corpus pro capacitate arteriarum & receptivitate partium distribuatur; ad partes autem cum vena portæ connexas humoralis massa per binas saltem, vel, si inferiorem mesenterica addere quoque velis, per tres ad summum arterias, amplitudine non adeo capaces derivatur, unde, si proportionem capacitatis earum cum lymphæ post pastum præcipue in suis vasis contentæ copia conferamus, omnemque chylum per sola lactea successiva in massam humorum derivari; hanc autem, ut oportebit, juxta receptivitatem partium æquabiliter per corpus distribui statuamus, & chyli copiam cum amplitudine totius corporis proportionatim comparemus; tunc satis dilucide apparebit, stante hac hypothese, tantam



lymphæ copiam post pastum in vasa sua ex meseraicis per hepar sequestrari non posse, uti tamen sequestratur; atque ideo longe probabilius fieri, chylum tunc temporis immediate venas mesentericas subire, & cum humoribus contentis commisceri.

§. XXV. Quod, ut tanto clarius evadat, comprobabimus etiam per experimenta, quæ de aditu flatu vel liquoris ex cavitate intestini in venas meseraicas testantur. Flatum quidem intestino anseris inflatum penetrasse in meseraicas venosas sanguiferas, testatur Brunnerus & Bohnius; sibi non successisse experimentum refert Jac. Hartmannus l.c. mihi etiam prima vice non successit; cujus causam cum rejicerem in arctiorem intestini strictionem, (solent enim partes corporis flexiles & fibrosæ rigore emortuali illo & frigore obrigescere) aliud intestinum anseris fovi per aliquod tempus in aqua tepida, quam cavitati quoque immiseram; postmodum hac emissâ, insufflatoque intestino, aqua tepida emollito, ventum in venas penetrare observare licuit in anseris intestino, quod frustra tentavimus in canino, forsan ob diversam ramulorum insertionem; si enim oblique per tunicas intestinorum repentem nerveam demum perforant, uti ductus cholidochus in duodeno, quod plerique omnes Anatomicorum concedunt; tunc tunicæ sibi invicem a flatu intus urgente atrocius appressæ aditum aëri in vasa compressa præcludere palam est.

§. XXVI. Nihilominus liquores tinctos ex cavo intestinorum in venas earum ingredi nobis apparuit, tum modo intestina eodem modo aqua tepida injecta & cir-



& circumfusa per aliquod temporis spatium foveantur, ut strictura illa fibrarum emortualis, (namque in mortuis experimenta fecimus) qua fibras panniculi carnosissimi incisas intra se recurrere norunt laniones, emolliatur; & si venæ portæ rami contento sanguine per aquam, in arterias levi pressura injectam eluantur prius, postmodum si liquorem coloratum in cavitatem intestini injicias, tepidum quoque, & intestina in aqua tepida circumfusa, aliquoties renovanda, manibus leniter agites, leviterque hinc inde comprimas; videbis lineas pallide coloratas in ramis venæ portæ ad intestina protensis. Prima vice hoc tentavi in catulo illo recens nato, qui prima quoque vice vasa lactea umbilicalia ad truncum venæ portæ & pancreas deducta exhibuit, hujus intestinula cum mesenterio exempta atque in aqua tepida fota liquorem tinctum in vasa meseraica, a sanguine prius per flatum distinctis vicibus leniter immissum & digitorum pressione liberata transmiserunt, idque mecum viderunt, qui anatomie studio tum mecum operam dederunt. Successit id etiam in canibus aliis, non tamen nisi sub dicta intestinorum remollitione per aquam pro fotu & elutriatione sanguinis injectum, atque aliquoties denuo, ne citius refrigeret, circumfusam.

§. XXVII. Simile quid observavimus etiam in humanis intestinis, a mesenterio ita liberatis, ut ramuli ad ea sparsi cum copiosa pinguedine satis notabiles & sanguine pleni relinquerentur. Hæc intestina per aliquot dies antequam demonstrationi publicæ accommodarentur neglectim in vas aliquod seposita foetorem quendam cadaverosum contraxerant, pro quo quan-



tum fieri poterat eluendo intestinis aquam calentem affudimus, sed mox, cum diuturnioris macerationis moram hora instans, qua demonstrari debebant, nullam concederet, ab internis impuritatibus aqua itidem calente eluuntur, aquam hinc inde agitando; quod tum fit, video vasorum quoque ramulos relictos a sanguine elui non solum, sed etiam manifesto aqua contenta turgescere, quod me in opinione de possibili, imo vero chyli ex intestinis in venas transitu tanto magis confirmabat. Quibus experimentis, si Bilsonianum illud, quo se in canibus vivis, ligatis arteriis, posteaque exinanitis sanguine, chyloque non obscure repletis venis, ad oculum demonstrare posse affirmant Hornius & Swammerdam, accedat, atque ita experimentis in mortuis factis ex vivorum testimoniis tanto major fides accedat; non video quid dubii circa vias chyli ex intestinis in venas meseraicas amplius superfit. Non autem despero successum Bilsiani experimenti, si vulnere abdomini non adeo magno nec sanguinem adeo fundente inflicto, celeri manu arteriæ celiacæ & mesentericæ, superne ligentur debita, ut sanguine evacuentur venæ meseraicæ, nec tamen canis experimento immoriantur, hoc mihi bis evenit, cum citra magnum vulnus ligare non potuerim arterias prope exortum, quod opus esse videtur. Nihilominus intra paucum illud spatium temporis, quod supervixerunt canes experimento subjecti, venæ meseraicæ maximam partem sanguine vacuæ apparuerant, aperto post mortem denuo abdomine. Mirum enim id nemini debet videri, si experimenta, multa cum difficultate & mortis periculo conjuncta quavis vice non succedant.



dant. Interim qui experimentum Bilfianum suis testimoniis prosequuti sunt, viri fuerunt, qui, uti ætatem fere in sola re anatomica consumserunt, ita & peritia, dexteritate & gloria secandi celeberrimi fidem omnino, quam nobis in his fecerunt, merentur. Atque ideo ego, rationibus hucusque allegatis experimentorum fide suffultis, confisus imo etiam auctoritate Excellentissimi Stahlī adjutus, nullus plane dubito de veritate ejus, quod chylus non per sola lactea, sed per meseraica quoque in Massam humorum & per hæc quidem vasa immediate ad hepar deducatur, non solum in generalissimum hunc deductionis, sed & in specialiorē aliquem, sanguificationis nempe usum.

§. XXVIII. Præcipuum pro hepate ex auctorando argumentum hoc fuit, quod chylo ad hepar per meseraicas venas aditus immediatus sit præclusus, nec etiam is per ulla lactea, minimeque per lymphatica eo deferatur; de quo hætenus. Alterum erat; quod proscriptis partium facultatibus Galenicis nulla esset hepatis potentia organica, qua sanguificationis officina dici mereatur. Restaret igitur, ut de hac quoque pro dignitate sua ageremus liberius. Sed cum præter spem & intentionem, licet summa tantum primi illius argumenti capita tetigerimus, eo tamen ipso longius sumus progressi; aliæ occasione iusta hujus alterius argumenti deductio nobis reservanda est. Ne tamen huic & promisso nostro penitus defuisse videamur, summam saltem & per brevissimas theses fundamentales proponemus, quo de concursu hepatis ad sanguificationem organico, quæ officina ejus dici omnino meretur, uberior explicanda quidem essent.



§. XXI. Sanguificare medicis hoc loco non est generare sanguinem, sed chylum in eum commutare. Chylus humor est, qui sub mixtione, propter motum fermentationis continuatum, superficialia minusque firma, non solum sanguinis & lymphæ elementa, sed multas quoque serosas impuritates, mixtioni illorum incongruas secum vehit. Mixtiones rerum commutare est mixtionem primam resolvere, elementa resoluta & sui quasi juris facta, ( licet coactio quædam quandoque accedat ) transponere, eaque transposita denuo combinare, aut novæ transpositioni & combinationi adaptare; ut sibi, ratione cujuscunque demum figuræ, congrua & coheræntia, sicuti in solis aggregatis in totum, ita in fluidis per partes minimas quietem subeant, quiescentesque moleculæ compositæ singulæ in fluido moveantur pro uno. Cuncta hæc ita in fluidis, novæ mixtioni expositis, fiunt sub motu fermentativo, resolutorio-transpositorio-combinatorio, imo etiam secretorio vel sepositorio; siquidem plurimæ particulæ, ex priori mixtione pro nova speciali minus aptæ, vel superfluæ, aliæ quidem, prægravato tandem per combinationem motu suo, fundum petunt; aliæ vero ad superficiem elutuantur, exhalantibus quibusdam, reliquæ etiam particulis minus mobilibus irretitæ, partim fundum petunt, partim lateraliter aut superficietenus vasi adhærent; ( quod fæces cum tartaro vini testantur ) dum interim, & longe melius ubi resedit quandantenus impetus fermentationis turbatorius, aliæ, novæ & speciali mixtioni, vinosæ v. g. commodæ, sub motu fermentativo sibi occurrentes coherænt, & respective non a fluiditatis, attamen a fermentationis motu, quiescunt, ita ut quiescentes sub nexu mixtionis plures particulæ in una molecula, mixtione prima excussa aliam certo induerint; quam eo usque servant, donec vel novo motu fermentativo vel violento quodam inducto iterum ex eadem resiliant, quod in hujusmodi perfermentationem compositis fluidis facile contingit; unde efficitur, horum fermentationem resolutoriam & combinatoriam gradu vehementiæ omnino differre debere.



§. XXX. Multa horum in mutatione chyli in sanguinem locum inveniunt. Habet clylus modum fluidi & fermentativum jam in primis viis sibi impressum, auctumque in Massa humorum sine dubio, hoc motu ex superficialia sua mixtione resolvi potest commode; sub eodem contingit transpositio particularum, ut novam pro sanguinis & lymphæ miscela combinationem subire queant. Serosarum impuritatum secesio simplex, qualis est liquorum in cado fermentantium, in corpore humano locum quidem non invenit, succenturiatur tamen ipsi depuratio chyli totiusque massæ humoralis secretorio-excretoria. Combinationi particularum in moleculas sanguineas, cum sub respectiva quiete fieri debeat, motus humorum circularis transpressorius per partes, turbatorius, ipsiusque mixtionis sanguinæ jam factæ resolutorius, qualis, videtur esse contrarius; ita, ut sub hoc impetuosiore motu progressivo, quem massa humorum in plerisque partibus (& in omnibus, ad quas ea pulsu artetiarum fortius impellitur, & per quas tono partium transprimitur,) experitur, chylus in serum potius resolveretur, quam ut particulae ejus quietam pro sanguine constituendo societatem ineant, nisi quidem hîc suum interponet officium hepar, quod cum vasis suis talem structuram & positum impetravit, quæ non solum sequestrationi particularum pro sanguinis miscela minus habiliū, sed etiam congruarum combinationi infervir & favet.

§. XXXI. Hepar enim bilem & lympham sequestrat bonam partem ex massa humorum, (non parum lymphæ cum sero pituitoso sequestratum jam erat per intestina,) nihil horum in copia miscelæ sanguinis convenit. Non viscidiores lymphæ, (tanto minus pituitoso-serosæ) particulae; quæ sanguini, vel humori pro sanguine, miscelam darent minus sulphuream, minus potentem incallescere. Non bilis humoralis; tantam quippe sub resolutione humorum alterationem massa, ut reunioni cum aliis in miscelam sanguinis non amplius congruat, unde & continuo secernitur. Cum hac bile humoralis, ex humorum resolutione genita, convenit chyli sub-



subtilis oleosa impuritas, accumulata in eo per abusum aromaticum ac spirituosorum &c. quæ facile inde secedens bilis excrementitiæ materiam quoque præbet. Hanc bilem cum lymphæ secernit hepar, adeoque eo ipso in loco & tempore, in quo reliquæ particulæ pro sanguine coire debent, secerantur alieniores istæ particulæ, proxime ad usum sanguificationis; cui proinde hepar hoc nomine inservit. Deinde etiam præcipue ideo, quod locum combinationi quietiori commodum concedat. Namque hepar ita est fabrefactum, ut humores sine pulsu & insigni tono ad se promotos, intra se etiam depuratos, perque vasa sua minutissima divisos, placidissime, sine compressione conquassatoria & interragitatoria, turbatoria, transmittat; ita, ut particulæ ex chylo (tam per meseraicas venas immediate ex intestinis recepto, quam cum aliis humoribus per arterias successive in illas delato) pro sanguinis mixtione convenientes, sub his omnibus quietam aliquam societatem & combinationem subire, & in sanguinem mutari, longe sit probabilissimum.

§. XXXII. Plura jam non permittit temporis chartæque angustia. Quare ut clausulæ loco in summam dicta & dicenda contraham, unicum hoc addo: Causa principalis sanguificationis est motus particularum chylosarum in massa humoralis fermentatorius; causa ejus organica hepar est, quod chylum etiam eum in finem immediate per vasa meseraica venosa recipit, eumque (cum ceteris humoribus) proxime pro sanguificatione a bile & lymphæ sejungit, & per se placidissime deducit; atque in his consistit potissimum organicum ejus, quo solo fungi potest, officium. Ad quod ut revocetur, isto suo ad sanguificationem concursu, meretur omnino viscus illud longe nobilius, quam ut ad solum humores repurgandi munus damnetur. Quod alia occasione clarius explicabitur.

Cæterum DEO T. O. T. M. submissas devota mente ago gratias, pro concessa mihi meaque in studia, gratia, Eumque supplex adoro, velit in his mihi in posterum quoque adesse clementissime!